

MARTIANI CAPELLAE VITA.



STE Martianus genere Carthaginiensis fuit, studuit autem primo Philologiae, postmodum poëtriae, partim quidem Romae, & partim in Italia floruit, unde culpat se cur deseruerit philosophiam, conuerteritque ad poëtriam. Aedit namque libros nouem, duos scilicet de nuptiis Philologiae, & Mercurij. Posteriores uerò de liberalibus artibus, in quibus quaedam praefigmenta differens, quaedam rei ueritatem exequens operi finem dedit. Interpretatur autem Philologia, amor rationis, Mercurius uerò, quasi mercatorum Kyrios, id est, dominus uel medius, currens sermo discurrens, quia inter mercatores sermo discurret, quia hermes Graece, Latine sermo dicitur. Titulus autem huius operis quatuor dat nomina authori suo. Sed cur Mineus dicatur, incertum est, nisi fortè à quadam corporis rubedine. In principio uerò sui septem periochae, id est, circumstantiae requirendae sunt, quae significant locum, tempus, personam, rem, qualitatem, causam, facultatem. Item quos imitatus fuerit, Socratem uidelicet & Epimenidem, quae omnia ostendunt libri huius auspiciū, praeter tempus, quod requirendum reliquit, & nec adhuc claret, sed incertum manet. Titulantur hi duo libri de nuptiis Philologiae & Mercurij, & non absque ratione. Cum enim Philologia, amor rationis interpretatur, Mercurius uerò in significatione sermonis ponatur, patet profectò, quia quibus inest ratio, ac uigor sapientiae, quae propalatur, per sermonis acumina in ipsis quasi competentes nuptiae. Titulus iste quatuor modis nomina dat suo authori, & Martianus suū est ipsius authoris proprium. Mineus dictus est, ab habitu faciei, id est, à caloris qualitate, rubicundus enim fuit, sicut & Cicero à cicerè genere leguminis uocatus est, quia candidam & acutam habuit faciem. Felix ad bonum omen pertinet, solebant parentes tenerè filios diligentes, huiusmodi eis nomina imponere ex rebus quas illis optabant, ut faustos, uel felices, uel magnos eos uocarent. Capella dictus est, ab acumine ingenij. Capella enim ceteris animalibus acutius uidet, unde & Graece dorchas uocatur, à uerbo doreo, id est, uideo. Vel Capella dictus est, à petulantia, & à lasciuiā poëtalī, ad quam se relicta Philosophia transtulit. Poëtarum enim est ludere & lasciuiare. Philosophorum autem rerum ueritatem subtili ratione inuestigare. Siue tertio modo Capella dictus est, quia capella auidum animal est in pascendo, & iste auidissime discipulas aggressus est, easque carpsit & dilacerauit. Martianus iste genere afer, cuius uerò Carthaginiensis, dignitate tamen Romanus extitit, quia ostenditur ex eo, quod quadrinominus fuit, nulli enim hoc nisi Romano ciui licebat. Floruit uel studuit autē partim Romae, partim in Italia, partim Carthagini. Volens ergo disputare de septem liberalibus artibus, composuit hanc fabulam de nuptiis Philologiae & Mercurij, non tamen absque magni ingenij ratione, nam Philologia interpretatur amor & studiū rationis, Mercurius

MARTIANI CAPELLAE VITA

dictus est, quasi medius currens, quia sermo inter duos seritur. Vel quasi mercatorum Kyrios, id est, dominus, quia sermo maxime inter mercatores uiget. Philologia ergo ponitur in persona sapientiae & rationis. Mercurius in similitudine facundiae & sermonis, ut Cicero dicit: Eloquentiae sermonis copia sine ratione & sapientia nocet aliquando, raro aut nunquam prodest. Sapientia uero sine eloquentia prodest semper, nunquam obest. Cum ergo in sapiente haec duo conuenerint, & acumen uidelicet rationis, &

• facundia sermonis, tunc quodammodo sociantur Mer-

curius & Philologia, tuncque promptissimum est

ad scientiam septem liberalium artium

posse accedere. Introducitur hoc

loco quaedam satyra, id est,

Venus Martiani

amica, hos uersus in honore hyminei

cecuisse, qui fertur deus esse

nuptiarum, id est, natu-

ralium concepti-

onum.